

ANNO DOMINI MCVIII.

GUNDULFUS

ROFFENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN GUNDULFUM.

(FABRIC., *Bibl. med. et inf. Lat.* II, 174.)

Gundulfus, episcopus Roffensis ab anno 1077, cuius Codex Bibliorum, superiore anno 1734 in sectione publica bibliothecæ clarissimi viri Hermanni van de Wall, Amstelodami veniit. Codex membranaceus magnæ molis, per duas columnas exaratus satis nitide, et hanc in fronte voluminis et partis utriusque notam præseleiens : *Prima pars Bibliæ, per bonæ memoriae Gundulfum Roffensem episcopum. Liber de claustro Roffensi. Quem qui inde alienavit, alienatum celavit, vel hunc titulum in fraudem delevit, eacommunicatus est, ferentibus sententiam episcopo, priore, et singulis presbyteris capituli Roffensis.*

VITA GUNDULFI

EPISCOPI ROFFENSIS,

AUCTORE MONACHO ROFFENSI COÆTANEO.

(WARTHON, *Anglia sacra*, II, 273.)

INCIPIT PROLOGUS.

(1) Vitas præcedentium Patrum posteris ad exemplum vivendi transmittere eorum est, qui præclaro præditi ingenio tantum dicere possunt, quantum illi facere potuerunt. Studuerunt illi magni esse magna faciendo; student et isti magni esse magna de magnis scribendo. Unus tamen spiritus est summus; qui et illis magna facere posse, et istis aspirat magna dicere posse. Scripturus igitur Vitam venerandi Patris

A Gundulfi Rovæcestrensis episcopi, Spiritum ipsum imploro sumnum, qui ei contulit, ut posset facere magna; quatenus et mihi conferre dignetur, ut de tanto Patre referre valeam quæ fecerit magna. Omnia tamen quæ de illo scribere proposui, aut ipse cum eo conversando vidi, aut ab iis qui videre vel ab ipso audiere et ipse auditu percepi.

Explicit prologus.

(1) Gundulfi Vitam dedit codex Cottonianus Nero A. 8, longe elegans intissimus, Gundulfi ætate parum inferior et pictus miniatis ornatus. Scriptam fuisse

a monacho quodam Roffensi plurima ipsius loca indicant; seque cum Gundulfo famihariter conversatum esse auctor in prologo testatur.

INGIPIT VITA.

Fuit in diebus regis Anglorum Wilhelmi primi vir vitæ venerandæ Gundulfus nomine, Northmannus genere, a puerō clericus, deinde monachus, demum episcopus, vitam clericalem monachili conversatione transmutans, vitam monachilem episcopali dignitate decorans. Cujus quia totam ex ordine vitam stylo

B veraci decrevimus prosequi, dicamus primo qui clericus, deinde quid monachus, demum quid episcopus egerit, ut de ejus vita imitatione digna ordo quisque sibi decerpatur quod virum Dei sequendo sibi ad imitandum assumat.